B. N. C.
FIRENZE
1037
11

1037. 11

XXIII
SCHVRZ II
1507

11

1037.11

A1

Q. D. B. V.

PROPOSITIONES
Hiſtorico - Geographicæ,

Qvas

PRÆSIDE
C. S. SCHURZFLEISCHIO,
P. P.

diſputandas ſuſcipit

M. JOAN. CHRISTOPHORUS ERNESTI,
Keula Schvvarzburgicus.

Ad Diem V. Novembris.

WITTENBERGÆ,
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXXVII.

XIII.
SCHVRZ

I.

TRanſylvania pars eſt Daciæ veteris, qvæ *mediterranea* dicitur, qvam Chryſus fl. ab Hungaria ſeparat ac ſecernit.

II.

Eam Trajanus fecit provinciam, & victo Dacorum Rege Decebalo, cum ditione Imperii Romani veteris conjunxit.

III.

Sedes domiciliumqve Decebali fuit qvondam in oppido *Sarmiz*, qvam Dio Caſſius nominavit Zermizegethuſam, *lib. LVIII, in excerptis apud Theodoſium.*

IV.

In priſcis Romanorum inſcriptioni-

bus, qvæ poſteritati ſervatæ ſunt, appellatur COLONIA VLPIA TRAJANA AVGVSTA DACICA ZARMIS. Alibi, ut legiſſe memini, pro ZARMIS legitur SARMIZEG. qvod plenè debet efferri, SARMIZEGETHUSA, vel ZERMIZEGETHUSA, ut Dio ſcribit, qvem vetus inſcriptio apprime illuſtrat. *V. Stephanus Zamoſius in analectis Daciæ antiqvitatum.*

V.

Commune vulgatumqve hujus oppidi nomen, Alba Julia, celebratur, qvod ab Julia, Aurelii Antonini pii Imper. matre, ſumtum eſſe, audaciùs, qvàm veriùs affirmant. In his numerandus eſt *Georgius Reicherſdorffius*, vir oppidò diligens, ſed interdum credulitate lapſus. Documento eſt vetus inſcriptio, qvam apud Dacos ab interitu vindicatam, acceſſione ex ingenio depromta auxit, & inſcriptioni, in agro ejus urbis repertæ, nomen *Juliæ* addidit atqve affinxit, *in Chorographia Tranſylvaniæ*

niæ p. 578. Sed vel unus ei arguendo ſufficiat Capitolinus, qvi non Juliam, ſed Arriam Fadillam Antonini pii matrem prodidit, qvod eum ſcire oportuit, qvem non cautè ſecuti ſunt Fournier & Baudrandus.

VI.

Neqve verò Dacia unqvam redacta eſt in ditionem imperii Romani, ad Francos Germanoſqve delati: neqve regno Germaniæ accesſit & innexa eſt, ſed ab utroqve finibus, formâ & jure regendi diſtincta ſemper fuit.

VII.

Qvam Pannodaciam multi, nec obſcuri ſcriptores vocant, eam conſularem fuiſſe conſtat, qvæ cum regno Hungariæ coaluit, atqve à Regibus Hungariæ etiam *poſtliminio* vindicatur.

VIII.

Duo Pannodaciæ Antiſtites dudum conſtituti, Albenſis, qvi ab Alba Julia di-

ctus eſt, & Varadinenſis ad Criſſum fl. ſuffragandi jure obnoxii ſunt Archiepiſcopo Colocienſi, qvi in regno Hungariæ ſecundus à Strigonienſi eſt, & metropolin uſqve in regiones Illyricas porrectam habet.

IX.

Hæc jura ſummis ſacerdotiis ſedibuſqve conjuncta, inde à Solymanni tempore turbata, ablata ac ferme deleta, barbaris auſpicio *AUGUSTI* fortiter feliciterqve pulſis, novum priſtinumqve facilè nobis promittunt ſplendorem.

X.

Religio Chriſtiana in Tranſylvaniam traducta eſt per Hungaros, ſed in Hungariam migravit ope Germanorum, inprimis connubio Giſelæ, cum Stephano I. Rege contracto.

XI.

Ex capite hujus matrimonii qvondam Hungari, nullo evidenti firmoqve argumento,

to, jus in Bojcariam ſibi aſſeruerunt, *apud Petrum de Revva cent. 1. rer. Hung.*

XII.

Primæ finium lites inter Hunnos Francoſqve exortæ ſunt ob limitem Bojoariæ, qvæ auctoribus exitio fuerunt. Qvod rectè auimadvertit ſcriptor annalium *Laurisbamenſium*, qvi tradit, *contentionem atqve altercationem* (de finibus) *belli poſtea cum Hunis geſti ſeminarium atqve originem fuiſſe.*

XIII.

Hungari, exciſis Hunnis, in Pannoniam adventârunt, & initâ cum Arnulpho ſocietate belli, partem regni Marahenſis acceperunt, qvam Germani poſtea ereptam, juxta cum Pannonia ſuperiori, in Germaniæ patrimonium conflârunt, fineſqve adeò in viſcera illius regionis protulerunt. Cautè hîc verba Thuani ſunt intelligenda, ſcribentis, *Pannoniâ ſuperiori hodie Auſtriam fere contineri, lib. IX. Hiſt.*

Hiſt. Nam id jure dici & concedi neqvit de Auſtria, qvæ ad Anaſum patet, qvippe qvæ antehac Bojoariæ limitem clauſit, & *Marchia* regni Orientalis, non Pannoniæ provincia fuit.

XIV.

Atenimverò Dacia, qvam prædixi, veteris Romanorum Imperii horreum fuit, & multum auri argentiqve ærario intulit, adeo ut magnas amplasqve opes ibi cumularent. Nota pervulgataqve ſunt nomina Magiſtratuum, qvi cenſus metallici negotia curârunt & moderati ſunt, inter qvos imprimis eluxit *proconſul aurariarum*, qvem vetera atqve incorrupta Daciæ monumenta apertisſimè demonſtrant. Tùm qvinto qvoqve anno hæc provincia ſolenne vectigal pendebat, qvod Romani ſuo jure & more *luſtrum* nominârunt. Cujusmodi inſcriptiones adhuc extant, honori memoriæqve COACTORUM ſacræ. Coactores qvi fuerint, neſcire puto neminem, qvi Tullium Tranqvillumqve leviter attigit, curſimq; inſpexit.

99 366936

1037. II

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma